

inierat ad occupandum eius civitatis dominium. Ex eis quatuor damnati sunt suspendio, quorum unus adherens furcis palam confessus fuit, ut levaretur crimine, se ad instantiam eius Francisci confecisse instrumentum falsum contra nobiles de Fontana^a, cum quibus lis^b erat de possessionibus^c, que petebantur ab eis. Nomen falsarii Zilius notarius^d de Campedolo¹; alii plures capti sunt, alii proscripti.

Iterum de rebus Henrici et de eius interitu.

Henricus² augustus principio anni manebat cum exercitu suo apud locum qui dicitur Sanctus Cassianus, longe a Florentia versus Senam octo milibus passuum. Is locus erat comodus habitationibus multis. Ibi moram trahens damna plurima intulit in agrum Florentinorum^e et Senensium. Inde Pisas profectus est. Ibi sententiam tulit contra regem Ro[bertum] commemorans, quantas offensiones et iniurias intulerat idem rex contra eum simulando^f se velle esse^g ei imperatori amicum et affinitatem contrahere, privavit ipsum regem ipse imperator omni honore ac iurisdictione, bona eius confiscavit, a fide illius omnes absolvit. Eum etiam sententia capitali damnavit. Cum rege Sicilie Federico affinitatem promissit^c ac fedus firmavit in perniciem regis Roberti. Convenerant ambo, ut coniunctis viribus apud Neapolim illum bello impeterent ac totaliter perderent. Igitur imperator a Germania validas vires concivit, precipue equitum. Iam iter agebant duce eorum rege Boemie, nato ipsius Henrici. Cum instaret tempus conveniendi cum rege Siculo contra Ro[bertum] regem, iam eger corpore contra medicorum consilium^h, quia sic convenerat, venit in agrum Senensemⁱ loco qui dicitur Bonconventum, operiens subsidia, que de Germania convocarat, morbus eius invalescebat in altero crurium congestis ibi morbidis humoribus ex causa continentie^k a consuetudine¹ coytus. Dicitur ei persuasum esse a medicis, ut amplexu mulieris uteretur in morbi remedium. Iam

a) 'foñta' Hs. b) 'lix' Hs. c) So Hs. d) 'not⁹' Hs.
e) 'floren' Hs.; 'Florencie' Comp. f) 'simulañ' Hs. g) 'ey' (?) folgt
getilgt in der Hs. h) 'consilium' Hs. i) 'senesem' Hs. k) 'con-
tinetie' Hs. l) '9suetudie' Hs.

1) 'quorum unus — Campedolo' ist Zusatz der Hist. Romana, steht nicht in der Comp. 2) Auch der Anfang dieses Kapitels bis 'et Senensium' steht noch in der Comp. a. a. O.